

# C. VALERII CATVLLI



## LESBIA

SIVE CARMINA AMATORIA  
DE LESBIA ET CATVLLO



*Iōannēs Paulus Ferdinandī Flūminis sive Murgēnsis  
modō Iōhannis Oerbergis composuit*


Hoc opus consignatum est sub Creative Commons diplomate



Imāgō amantium in lectō in vīllā Rōmānā reperta

## RES QVAE HOC LIBELLO CONTINENTVR

Dē Catullō poētā	3
Dē versibus	5
Carmina	
II	7
III	7
V	8
VII	9
VIII	10
XLIII	11
LI	12
LXX	12
LXXII	13
LXXV	13
LXXVI	14
LXXIX	15
LXXXIII	15
LXXXV	16
LXXXVI	16
LXXXVII	17
XCII	17
CIV	17
CVII	18
CIX	18
Commentārii	19
Index vocābulōrum	23
Index nōminum	24
Notae	24



In margine pāginārum explānantur vocābula quae nōn reperiuntur in librō cui titulus est LINGUA LATINA PER SE ILLUSTRATA pars I: Familia Rōmāna.

Indicēs habent sōlum vocābula quae in carminibus reperiuntur. Quae singulīs locīs explānantur, ut singula carmina per sē legī possint.

## DE CATULLO POETA

- P. Valerius Catullus nātus est Vērōnae annō LXXXIV ante Christum nātum. Familiae dīvitis fuit, quam C. Iūlius Caesar in itineribus in Galliam vīsītābat. Adulescēns Rōmam migrāvit ut cursum 5 polīticum inīret, sed artī poēticae sē dedit.
- Catullus carminum librum scrīpsit in quō appellat hominēs sibi nōtōs, quōrum prīncipālis est Lesbia, domina quam amāvit.
- ‘Lesbia’ nōmen venit ā ‘Lesbō’, īnsulā maris Aegaeī quam poētria Sapphō habitāvit; ita Catullus 10 studium carminum Sapphicōrum et puellam amatam doctam significāre voluit.
- Nōn certē scīmus eōrum cursum amōris, nec secundum tempus carmina in librō ordinantur; tamen 15 ex iīs et opere Cicerōnis, cui titulus est ‘Prō Caeliō’, aliquās rēs colligere possumus.
- Crēditur Lesbiam Clōdiae nōmen falsum esse. Clōdia fuit uxor Metellī prōcōnsulis Galliae Cisalpīnae, quem Catullus nōverat. Ubi prīmum Catullus 20 Rōmam pervēnit, absente Metellō Clōdiam adamā-
- P. = Pūblius  
Vērōna -ae *f.*, urbs Galliae Cisalpīnae (: cis Alpēs)
- vīsītāre = vīsum īre  
migrāre = in alium locum īre  
habitātum  
polīticus -a -um; cursus polīticus : cursus officiōrum pūblicōrum quae laudis sunt  
sē dare = studēre
- prīncipālis -e < prīnceps
- Lesbia -ae *f.*
- Lesbos -ī *f.*
- poēta -ae *m.*, poētria -ae *f.*  
Sapphō -ūs *f.*
- Sapphicus -a -um < Sapphō
- secundum +acc = ex
- M. Tullius Cicerō, nōbilissimus  
ōrātor(=quī verba pūblicē facit)  
Caelius -ī *m.*  
col-ligere < con + legere
- Clōdia -ae *f.*
- Metellus -ī *m.*  
prō-cōnsul -is *m.* = homō quī  
priōre annō cōnsul fuit; cōnsul  
-is *m.* = alter populō Rōmānō  
praepositus
- ad-amāre = amāre incipere

mortem obīre = morī

vidua -ae *f* = mulier quae marī-  
tum amīsit  
apertē (< aperīre) ↔ occultē  
oc-cidere = cadere, morī

Caelius Rūfus, orātor  
dēfendere = verba facere prō  
aliquō quī accusātus est

fallere fefellisse falsum = fidem  
frangere | re-scīre -scī(v)isse  
-ītum = cognōscere  
Bīthŷnia -ae *f*, regiō Asiae  
Mummius -ī *m*  
prō-praetor -ōris *m* = homō quī  
priōre annō *praetor* fuit; praetor  
-ōris *m* = homō urbī praepositus  
morārī = diūtius in locō manēre  
ab-ruptiō -ōnis *f* < *ab-rumpere*  
= subitō fnīre  
re-conciliātiō -ōnis *f* < *re-conci-*  
*liāre* = rursus coniungere  
identidem = iterum iterumque  
suc-cedere (alicuī) = in locum  
(alicuius) sēquī  
aliquandō = tandem  
dē vītā dē-cedere = morī

vit. Cum postea Metellus mortem obiisset, Catullus  
Clōdiam viduam apertē amāre potuit, sed paulō post  
frāter suus occidit, quārē poēta Vērōnam rediit. De-  
inde Clōdia Caelium Rūfum, quem Cicerō post dē-  
fendit in opere suprā dictō, cognōvit et adamāvit. 25  
Ita Catullus ab illā falsus est idque ab amīcīs rescīt  
dum Bīthŷniae sub Mummiō prōpraetōre morābātur.  
Rōmam reditus abruptiōnēs reconciliātiōnibus iden-  
tidem successērunt dōnec aliquandō amōrēs eōrum  
dēsierunt. 30

Catullus Rōmae dē vītā dēcessit annō LIV ante  
Christum nātum.



## DE VERSIBVS

Hī sunt versūs et strophae carminum quae hōc li-  
brō continentur. Syllaba brevis notātur [⊔], syllaba  
longa [—]; pedēs hāc notā [ ] dīviduntur, hāc [ ] no-  
tātur caesūra (pausa post syllabam).

strophē -ae *f* = versuum nume-  
rus

Pedēs:  
trochaeus — ⊔  
iambus ⊔ —  
dactylus — ⊔ ⊔  
spondēus — —

caesūra -ae *f*  
pausa -ae *f* = tempus quiētus

- 5 [I] Versus hendecasyllabus (carmina II, III, V, VII,  
XLIII)

*Passer | dēlici | ae me | ae pu | ellae*  
— — | — ⊔ ⊔ | — ⊔ | — ⊔ | — —

Pēs p̄rimus r̄arius iambus aut trochaeus est.

- 10 [II] Strophē Sapphicā (carmen LI)

Cōnstat ex tribus versibus Sapphicīs et ūnō Adō-  
niō quōs sequitur.

Adōnius -a -um

Versus Sapphicus:

*Ille | mī p̄ar | esse de | ō vi | dētur*  
— ⊔ | — — | — ⊔ ⊔ | — ⊔ | — —

15

Versus Adōnius:

*spectat̄ et̄ audit̄*  
— ⊔ ⊔ | — —

- [III] Versus Hippōnactēus (carmen VIII)

Hippōnactēus -a -um

20

*Miser | Catul | le || dē | sinās̄ ↑ inep | tīre*

distichon -ī n  
elegiācus -a -um

— | — | — || — | — | — | —

aut

*et quod | vidēs | perīs | se || per | ditum | dūcās*

— | — | — | — || — | — | —

[IV] Distichon elegiācum (carmina ab LXX usque 25  
ad CIX)

Cōnstat ex versū hexametrorō et versū pentametrorō.

Versus hexameter:

*ut lice | at || nō | bīs || tō | tā || per | dūcere | vītā*

— | — || — || — || — || — | —

1

2

3

30

Licet etiam secundā caesūrā sōlā ūtī, aut prīmā et  
secundā, aut prīmā et tertiā, aut secundā et tertiā.

Versus pentameter:

*quārē | iam tē | cūr || amplius | excruci | ēs?*

— | — | — || — | — | —

35

Versus pentameter semper hexametrum sequitur:

*Crēdis | mē || potu | isse me | ae || male | dīcere | vītāe,*

*ambō | bus mihi | quae || cārior est oculi | līs?*

## LESBIA

### II

#### [*Passer Lesbiae*]

Passer, dēliciae meae puellae,  
quīcum lūdere, quem in sinū tenēre,  
cui prīmum digitum dare appetentī  
et acrīs solet incitāre morsūs,  
5 cum dēsīderiō meō nitentī  
cārum nescioquid lubet iocārī  
et sōlāciolum suī dolōris,  
crēdō, ut tum gravis acquiescat ardor:  
tēcum lūdere sicut ipsa possem  
10 et tristīs animī levāre cūrās!

### III

#### [*Mors passeris*]

Lūgēte, ō Venerēs Cupīdinēsque  
et quantum est hominum venustiōrum!  
Passer mortuus est meae puellae,  
passer, dēliciae meae puellae,  
5 quem plūs illa oculīs suīs amābat;  
nam mellītus erat suamque nōrat

passer  
-eris *m*



dēliciae -ārum *f* = id quod  
delectat  
lūdere ... tenēre ... dare ...  
incitāre solet (*Lesbia*)  
quī-cum  
sinus -ūs *m* = gremium  
prīmum digitum : prīmam  
partem digitī  
ap-petēns -entis = cupidus  
et ac-rīs | ac-rīs : ac-rēs  
incitāre = excitāre  
morsus -ūs *m* < mordēre  
dēsīderium -ī *n* < dēsīderāre  
nitēns -entis = lūcēns

nescio-*quid* cārum  
lubet : libet  
iocārī = iocō ūfī; iocus -ī *m* =  
lūdus  
sōlāciolum -ī *n* = parvum *sōlā-*  
*cium* = cōsōlātiō (< cōsōlārī)  
ac-*qui*escere = cessāre  
ārdor -ōris *m* = studium, cupi-  
ditās  
*utinam* possem  
tristīs : tristēs | tristīs cūrās



Venus et Cupīdo

Venerēs, Cupīdinēs *pl* : Venus,  
Cupīdō  
quantum est hominum = quot  
sunt hominēs  
venustus -a -um = bellus,  
amandus

mellītus -a -um (< mel) = dulcis  
(ut mel)  
nōrat = nō verat

suam ipsam *dominam*

circum-silīre < -salīre

ūsque = semper  
pīpiāre = 'pīpi' facere (ut avis)

tenebricōsus -a -um (<tenebrae)  
= obscūrus

negant redīre quemquam =  
dīcunt 'nēminem redīre'

Orcus -ī *m* = Plūtō : Īnferī  
dē-vorāre = vorāre

male factum = malefīcium

tuā operā = tuā causā

turgidulus = turgidus  
ocellus -ī *m* = (parvus) oculus



Orcus, deus Īnferōrum

bāsium -ī *n* = ōsculum  
ūnīus assis aestimāre : minimī  
aestimāre, nihil cūrāre

lūx : diēs (: vīta)

nōbīs dormiendum est ūnam  
noctem perpetuam

ipsam tam bene quam puella mātrem,

nec sēsē ā gremiō illīus movēbat,

sed circumsiliēns modo hūc modo illūc

ad sōlam dominam ūsque pīpiābat.

10

Quī nunc it per iter tenebricōsum

illūc unde negant redīre quemquam.

At vōbīs male sit, malae tenebrae

Orcī, quae omnia bella dēvorātis:

tam bellum mihi passerem abstulistis.

15

Ō factum male! Ō miselle passer!

Tuā nunc operā meae puellae

flendō turgidulī rubent ocellī!

## V

[*Bāsia mille*]

Vīvāmus, mea Lesbia, atque amēmus,

rūmōrēsque senum sevērīōrum

omnēs ūnīus aestimēmus assis!

Sōlēs occidere et redīre possunt;

nōbīs, cum semel occidit brevis lūx,

5

nox est perpetua ūna dormienda.

## LESBIA

Dā mī bāsia mīlle, dēinde centum,

mī = mihi

dēin mīlle altera, dēin secunda centum,

dein = deinde

dēinde ūsque altera mīlle, dēinde centum!

ūsque = sine fine

10

Dēin, cum mīlia multa fēcerīmus,

= fēcerimus

conturbābimus illa, nē sciāmus,

con-turbāre = turbāre  
(↔ numerāre)

aut nē quis malus invidēre possit,

nē *numerum* sciāmus  
*nōbis* invidēre

cum tantum sciat esse bāsiōrum.

tantum bāsiōrum = tot bāsia

## VII

[*Nōn satis bāsiātiōnum*]

Quaeris quot mihi bāsiātiōnēs

tuae, Lesbia, sint satis superque:

quam magnus numerus Libyssae harēnae

lasarpīciferis iacet Cyrēnīs



lasarpīcium in nummō

bāsiātiō -ōnis *f* = ōsculum  
satis superque = plūs quam  
satis  
quam magnus numerus = tot  
(bāsiātiōnēs) quot  
Libyssus -a -um < *Libya*, regiō  
Africae  
harēna -ae *f* = terra sicca lītorum  
lasarpīcifer -fera -ferum = quī  
*lasarpīcium* fert  
Cyrēnae -ārum *f*, oppidum  
Libyae



ōrāclum -ī n = locus ubi fātum  
*praedicitur* (< prae-dicere)  
 aestuōsus -a -um = turbidus  
 inter ō.clum Iovis aestuōsī et ...  
 Battus -ī m, rēx I Cyrēnārum  
 sacer -cra -crum = adōrandus  
 sepulcrum -ī n = locus sub terrā  
 ubi homō mortuus iacet  
 sīdus -eris n = stēlla  
 fūrtīvus -a -um (< fūrtum) =  
*occultus* (< occultāre)

tam multa ... quae  
 bāsiūm -ī = ōsculum  
 bāsiāre = bāsia dare  
 vēsānus -a -um = cui mēns  
 sāna nōn est  
 satis et super = satis superque  
 per-numerāre = numerāre  
 cūriōsus -a -um = quī nimīā  
 cūrā ūtitur in rēbus aliēnis  
 fascināre = nocēre



sōlēs fulgent

ineptīre = *ineptiās* dicere/facere;  
 ineptiae -ārum f = nūgae

perīsse : periisse  
 dūcās : habeās, putēs

fulgēre -sisse = lucēre; fulsēre  
 = fulsērunt  
 quondām = ōlim | tibī = tibi  
 ventitāre = saepe venīre

*tantum* amāta ā nōbīs (: ā mē)

iocōsus -a -um = quī rīsum  
 excitat, rīdiculus

vērē *adv* < vērus

im-potēns -entis = quī nōn  
 potest

sectārī = sequī; sectāre *imp*  
*praes* : nē sectāre, nē vīve

ōrāclum Iovis inter aestuōsī

5

et Battī veteris sacrum sepulcrum;

aut quam sīdera multa, cum tacet nox,

fūrtīvōs hominum vident amōrēs.

Tam tē bāsia multa bāsiāre

vēsānō satis et super Catullō est,

10

quae nec pernumerāre cūriōsī

possint nec mala fascināre lingua.

## VIII

[*Miser Catullus*]

Miser Catulle, dēsīnās ineptīre,

et quod vidēs perīsse perditum dūcās.

Fulsēre quondam candidī tibī sōlēs,

cum ventitābās quō puella dūcēbat

amāta nōbīs quantum amābitur nūlla.

5

Ibi illa multa cum iocōsa fīēbant,

quae tū volēbās nec puella nōlēbat,

fulsēre vērē candidī tibī sōlēs.

Nunc iam illa nōn vult: tū quoque impotēns nōlī,

nec quae fugit sectāre, nec miser vīve,

10

## LESBIA

	sed obstinātā mente perfer, obdūrā!	obstinātus -a -um = cōnstāns ob-dūrāre = dūrus/patiēns esse
	Valē, puella! iam Catullus obdūrat, nec tē requīret nec rogābit invītam; at tū dolēbis, cum rogāberis nūlla.	re-quirere = quaerere invītus- a -um = nōlēns (↔ libēns) nūlla : nōn
15	Scelesta, vae tē! Quae tibī manet vīta? Quis nunc tē adībit? Cui vidēberis bella? Quem nunc amābis? Cūius esse dīcēris? Quem bāsiābis? Cui labella mordēbis? At tū, Catulle, dēstinātus obdūrā.	vae! = heu! manet : exspectat  cūius -a -um = cuius? ( <i>gen pron</i> quī, quae , quod) labellum -ī <i>n</i> = labrum dēstinātus -a -um = obstinātus

## XLIII

[*Ad Āmēānam*]

Āmēāna -ae *f*

	Salvē, nec minimō puella nāsō nec bellō pede nec nigrīs ocellīs nec longīs digitīs nec ōre siccō nec sānē nimis ēlegante linguā, 5 dēcoctōris amīca Formiānī. Ten prōvincia nārrat esse bellam? Tēcum Lesbia nostra comparātur? Ō saeculum īnsapiēns et īfacētum!	ōre siccō : labrīs siccīs  ēlegāns -antis = quī arte urbānā placet, decēns dēcoctor -ōris <i>m</i> = quī omnia sua per <i>luxum</i> cōnsūpsit; lu- xus -ūs <i>m</i> = vita nimis magni- fica Formiānus -ī <i>m</i> ten = tē-ne  nostra : mea saeculum -ī <i>n</i> = genus hominum quī eōdem tempore vīvunt īn-sapiēns -entis ↔ sapiēns īn-facētus -a -um ↔ <i>facētus</i> = ēlegāns
--	--	---

LI

[*Amor incipiēns*]

ille ... quī  
 pār paris + *dat* = similis  
 fās *n indēcl* = iūs dīvīnum; fās  
 est = licet per deōs  
 superāre (aliquem) = superior  
 esse (quam aliquis)  
 dīvus -ī *m* = deus  
 adversus -a -um = in locō con-  
 trāriō positus  
 identidem = iterum iterumque

dulce *adv* < dulcis -e  
 tē rīdentem  
 omnīs = omnēs; omnīs sensūs  
 sēnsus -ūs *m* < sentīre  
 miserō mihi  
 simul *ac* tē aspexī  
 nihil vōcis : nulla vōx  
 est super : superest

torpēre = sēnsū aut *mōtum*  
 (< movēre) āmittere  
 artūs -uum *m* = membra corpo-  
 ris; sub artūs : sub corpus  
 flamma -ae *f* = ignis saevus  
 (: cupiditās) | tenuis flamma  
 dē-mānāre = *mānāre* (= fluere)  
 sonitus -ūs *m* = sonus  
 suō-pte = suō ipsō  
 tintināre = valdē sonāre (intrā  
 aurēs)  
 geminus -a -um = bis tantus;  
 g. ā nocte (quia longa vidētur)  
 tēgere = operīre, claudere  
 lūmen -inis *n* = lūx; lūmina :  
 oculī  
 Ō-tūm Catul-īe : secundus pēs  
 nōn spondēus, sed trochaeus est  
 exsultāre = superbē gaudēre  
 gestīre = cupere, dēsīderāre

Ille mī pār esse deō vidētur,

ille, sī fās est, superāre dīvōs,

quī sedēns adversus identidem tē

spectat et audit

dulce rīdentem, miserō quod omnīs

5

ēripit sēnsūs mihi; nam simul tē,

Lesbia, aspexī, nihil est super mī

vōcis in ōre,

lingua sed torpet, tenuis sub artūs

flamma dēmānat, sonitū suōpte

10

tintinant aurēs, geminā teguntur

lūmina nocte.

Ōtium, Catulle, tibī molestum est:

ōtiō exsultās nimiumque gestīs:

ōtium et rēgēs prius et beātās

15

perdidit urbēs.



flamma -ae *f*

LXX

[*Mulier infīda*]

‘Nūllī sē’ dīcit mulier mea ‘nūbere mälle

## LESBIA

quam mihi, nōn sī sē Iuppiter ipse petat.’

Dīcit, sed mulier cupidō quod dīcit amantī  
in ventō et rapidā scrībere oportet aquā.

### LXXII

[*Ad Lesbiam infidam*]

Dīcēbās quondam ‘sōlum tē nōsse Catullum,’

Lesbia, ‘nec prae mē velle tenēre Iovem.’

Dīlēxī tum tē nōn tantum ut vulgus amīcam,  
sed pater ut gnātōs dīligit et generōs.

5 Nunc tē cognōvī: quārē etsī impēnsius ūror,  
multō mī tamen es vīlior et levior.

Quī potis est, inquis? Quod amantem iniūria tālis  
cōgit amāre magis, sed bene velle minus.

### LXXV

[*Amēns amāns*]

Hūc est mēns dēducta tuā mea, Lesbia, culpā

atque ita sē officiō perdidit ipsa suō,

ut iam nec bene velle queat tibi, sī optima fīās,

nec dēsistere amāre, omnia sī faciās.

*uxōrem* petat

*id* quod mulier dīcit amantī cupidō

Iuppiter,  
rēx deōrum



quondam = ōlim  
nōsse = nō vīsse

nec *quidem*

vulgus -ī *m* = hominēs populī  
ut vulgus *dīligit* amīcam

gnātus -ī *m* = filiūs  
gener -ī *m* = marītus filiae  
sed ut pater gnātōs et generōs d.  
impēnsius *adv* (*sup* < *impēnsē*  
= multum, cupidē) = magis

quī *adv* = quōmodo  
potis est = potest (potis -e *adi*  
*indēcl*); quī potis est? = quō-  
modo fierī potest?  
cōgere = pellere ad aliquid faci-  
endum  
bene velle (alicui) = optāre rēs  
bonās (alicui)

ā-mēns -entis = sine mente, īn-  
sānus  
hūc ... ut = ita ... ut  
dē-dūcere = dūcere  
culpa -ae *f* = causa accūsandī  
mēns mea dēducta est tuā culpā  
(= tuā causā)  
ita ipsa sē perdidit officiō suō  
bene velle tibi = amāre tē  
quīre quīvisse = posse; queat  
(*coni praes*) = possit  
*etsī* optima fīās  
*etsī* omnia faciās  
nec dē[sis-te-r’]amā || r’om-ni-a  
: ‘amāre’ interest inter duās  
partēs versūs pentametṛī

## LXXVI

[Ad deōs]

sī-quis -qua -quid = sī aliquis  
 re-cordārī = re-minīscī; recor-  
 dantī hominī benefacta priōra  
 bene-facere | voluptās -ātis *n* =  
 quod dēlectat (↔ dolor)  
 cōgitat sē esse ... violāsse ...  
 abūsum *esse*  
 pius -a -um = quī deōs dīligit  
 sānctus -a -um = tūtus lēgibus  
 deōrum  
 violāre = frangere | violā *v*isse  
 fidēs -eī *f* = prōmissum  
 foedus -eris *n* = lēx inter homi-  
 nēs statūta, fidēs  
 dīvus -ī *m* (*gen pl'* dīvum') = deus  
 nūmen -inis *n* = voluntās deōrum  
 ab-ūtī ab-ūsum *esse* (rē) = aliqūā  
 rē ūtī ad aliam cōsequendam  
 : nec dīvum nūmine abūsum *esse*  
 ad fallendōs h.nēs foedere nūllō  
 multa gaudia tīb/parāta in longā  
 aetāte (: per longum tempus)  
 manēbunt ex (: post) hōc amōre  
 ingrātō  
 in-grātus -a -um ↔ grātus

Sīqua recordantī benefacta priōra voluptās

est hominī, cum sē cōgitat esse pium,

nec sānctam violāsse fidem, nec foedere nūllō

dīvum ad fallendōs nūmine abūsum hominēs,

multa parāta manent in longā aetāte, Catulle, 5

ex hōc ingrātō gaudia amōre tībī!

Nam quaecumque hominēs bene cuiquam aut

dīcere possunt

aut facere, haec ā tē dictaque factaque sunt;

omnia quae ingrātae periērunt crēdita mentī

— quārē iam tē cūr amplius excrucies? 10

Quīn tū animō offirmās atque istinc tēque

redūcis

et, dīs invītīs, dēsiniis esse miser?

Difficile est longum subitō dēpōnere amōrem;

difficile est, vērūm hōc quā lubet efficiās!

Ūna salūs haec est: hōc est tibi pervincendum, 15

hōc faciās sīve id nōn pote sīve pote!

Ō dī, sī vestrum est miserērī, aut sī quibus

umquam

haec omnia, cum ingrātae  
 mentī (: puellae) crēdita *sint*,  
 periērunt  
 amplius *adv* = plūs  
 of-firmāre < ob+ *f*irmāre = *f*ir-  
 mus (= cōnstāns) facere  
 ex-cruciare = valdē cruciare  
 istinc = ex istō locō

invītus -a -um = nōlēns, adver-  
 sus

dē-pōnere = relinquere

quā *adv* = quōmodo; quā tibi  
 lubeat (= libeat)  
 efficiās! : effice!  
 per-vincere = plānē vincere  
 hōc | est tī-bī | per-vin | cen-dum  
 : trochaeus pēs IV (nōn V)  
 faciās! : fac!  
 potis -e *adi* *indēct*, pote *est* =  
 fierī potest  
 miserērī = dolēre ob alicuius  
 miseriam (< miser)  
 sī vestrum est miserērī : sī vōs  
 miserēmīni  
 sī quibus = sī aliquibus

## LESBIA

extrēmam iam ipsā in morte tulistis opem,  
mē miserum aspiciate et, sī vītam pūriter ēgī,  
20 ēripite hanc pestem perniciemque mihi,  
quae mihi subrēpēns īmōs ut torpor in artūs  
expulit ex omnī pectore laetitiās!  
Nōn iam illud quaerō contrā mē ut dīligat illa  
aut, quod nōn potis est, esse pudīca velit:  
25 ipse valēre optō et taetrum hunc dēpōnere  
morbū.

extrēmus -a -um = postrēmus  
opem -is -e *f* = auxilium  
extrēmam opem in ipsā morte  
vītam agere = vīvere  
pūriter *adv* < pūrus = quī nōn  
male fēcit  
pestis -is *f* = malum  
perniciēs -ēī *f* = caedēs  
sub-rēpere = latenter subīre  
torpor -ōris *m* < *torpēre* = *mōtum*  
(< *movēre*) aut sēnsū āmittere  
artūs -uum *m* = membra corpo-  
ris; subrēpēns in imōs artūs  
ex-pellere  
pectore : animō  
nōn quaerō ut illa mē dīligat  
contrā = quoque (: ut ego eam  
dīligō)  
pudīcus -a -um = quī pudet

taeter -tra -trum = dīrus, turpis

Ō dī, reddite mī hōc prō pietāte meā!

red-dere = dare, facere  
pietās -ātis *f* < pius; prō pietāte  
meā = quia pius fui

## LXXIX

[*Dē Clōdiō*]

Lesbius est pulcher. Quid nī? Quem Lesbia mālit  
quam tē cum tōtā gente, Catulle, tuā.  
Sed tamen hīc pulcher vēndat cum gente Catullum  
sī tria nōtōrum suāvia reppererit.

Clōdius Pulcher : frater Lesbiae

Lesbius -ī *m* : Clōdius  
pulcher -cra -crum = pulcher  
quid nī? = cūr nōn?  
gēns -entis *f* = familia  
: quam tē et tōtam gentem tuam

: vēndat Catullum et tōtam eius  
gentem

nōtōrum *hominum*  
suāvium -ī *n* = oīsculum

## LXXXIII

[*Ad Metellum*]

Lesbia mī praesente virō mala plūrima dīcit:


mī : dē mē  
plūrimus -a -um *sup* < multus

fatuus -a -um = stultus

mūlus -ī *m* = fatuus  
 sentīs : intellegis  
 sāna : nōn amāns  
 gannīre = fremere (ut canis),  
 querī  
 ob-loquī = male dīcere  
 meī meminit  
 ācer acris ācre = cruentus

: loquitur quia ūritur (amōre)

mūlus -ī *m*



re-quirere = quaerere

ex-cruciāre = valdē cruciāre

Quintia -ae *f*

longa : alta

rēcta ↔ flexa

*at haec* fōrmōsa esse negō  
 tōtum illud ↔ in partēs dīvīsa  
 venustās -ātis *f* < venustus  
 mīca -ae *f* = pars parva  
 sāl : venustās

*contrā* Lesbia fōrmōsa est  
 cum ... tum = nōn modo ... sed  
 etiā  
 pulcherrima = pulcherrima

omnīs = omnēs | omnīs Venerēs  
 Venerēs : venustās

haec illī fatuō māxima laetitia est.

Mūle, nihil sentīs? Sī nostrī oblīta tacēret,

sāna esset: nunc quod gannit et obloquitur

nōn sōlum meminit, sed, quae multō ācrior est 5

rēs,

īrāta est — hōc est, ūritur et loquitur.

LXXXV

[*Ōdī et amō*]

Ōdī et amō! Quārē id faciam, fortasse requīris?

Nesciō; sed fierī sentiō — et excrucior!

LXXXVI

[*Dē Quintiā*]

Quintia fōrmōsa est multīs; mihi candida, longa,

rēcta est — haec ego sīc singula cōnfiteor,

tōtum illud fōrmōsa negō; nam nūlla venustās,

nūlla in tam magnō est corpore mīca salis.

Lesbia fōrmōsa est, quae cum pulcherrima tōta

est, 5

tum omnibus ūna omnīs surripuit Venerēs.

## LESBIA

---

### LXXXVII

[*Fīdus Catullus*]

Nūlla potest mulier tantum sē dīcere amātam

amātam *esse*

vērē, quantum ā mē Lesbia amāta mea est:

vērē *adv* < vērūs  
mea Lesbia

nūlla fidēs ūllō fuit umquam foedere tanta,

foedus -eris *n* = lēx inter homi-  
nēs statūta

quanta in amōre tuō ex parte reperta meā est.

nūlla fidēs tanta fuit umquam  
*in* ūllō foedere, quanta...  
quanta ex parte meā reperta est  
: quanta mea fuit (fidēs)

### XCII

[*Signum amōris*]

Lesbia mī dīcit semper male nec tacet umquam

mī : dē mē

dē mē: Lesbia mē dispeream nisi amat.

dis-perīre = plānē perīre  
dispeream nisi Lesbia mē amat

Quō signō? Quia sunt totidem mea: dēprecor

signāre = animadvertere  
tot-idem = idem numerus  
: quia *signa* (amōris) sunt toti-  
dem mea (: eadem quam mea)  
dē-precārī = male dīcere

illam

assiduē, vērūm dispeream nisi amō.

assiduē = saepe  
*eam* amō

### CIV

[*Mōnstra*]

Crēdis mē potuisse meae maledīcere vītae,

male-dīcere  
meae vītae : dē meō amōre  
( : Lesbiā)

ambōbus mihi quae cārīor est oculīs?

ambō -ae -ō = duo simul  
quae mihi cārīor ambōbus oculīs  
est?

Nōn potuī, nec, sī possem, tam perditē amārem;

perditē = valdē | *eam* amārem  
Tappō -ōnis *m*, cum T.ne : et T.  
mōnstra facis : *incrēdibilia* nār-  
rās | incrēdibilis -e ↔ crēdendus  
cum Tap|pō || n'om-ni-a : 'Tap-  
pōne' interest inter duās partēs  
versūs pentametri

sed tū cum Tappōne omnia mōnstra facis.

CVII

[*Amor renovātus*]

re-novāre = dēnuō facere

quic-quam = quid-quam  
op-tingere -tigiſſe = accidere

īn-spērāns -antis = quī minimē  
spērat  
propriē = praecipuē  
nōbīs : mihi

re-stituere = reddere  
mī = mihi

*mihi* cupidō atque īnſperantī  
re-ferre = reducere

nōbīs : mihi  
lūcem (: diem) *dignam quae*  
candidiōre notā *signem*\*  
: quis fēlicior vīvit quam ego  
ūnus, aut quis 'rēs esse magis  
optandās quam hanc vītā'  
dīcere poterit?

calculus -ī m



diēs fēlix signātur  
calculō candidō



diēs infēlix signātur  
calculō nigro

iūcundum : grātum  
prō-pōnere = pollicērī  
hunc amōrem nostrum iūcun-  
dum perpetuumque fore

vērē *adv* < vērus

sincērus -a -um = vērus  
ex animō : ex īmō corde

per-dūcere  
aeternus -a -um = perpetuus  
sānctus -a -um = tūtus lēgibus  
deōrum  
foedus -eris *n* = lēx inter homi-  
nēs statūta  
hōc aeternum foedus sānctae  
amīcītiaē

Sī quicquam cupidōque optantīque optigit

umquam

īnspērantī, hōc est grātum animō propriē.

Quārē hōc est grātum nōbīsque est cārius aurō,

quod tē restituis, Lesbia, mī cupidō,

restituīs cupidō atque īnspērantī, ipsa refers tē 5

nōbīs. Ō lūcem candidiōre notā!

Quis mē ūnō vīvit fēlicior, aut 'magis hāc rēs

optandās vītā' dīcere quis poterit?

CIX

[*Foedus amīcītiaē*]

Iūcundum, mea vīta, mihī prōpōnis amōrem

hunc nostrum inter nōs perpetuumque fore.

Dī magnī, facite ut vērē prōmittere possit

atque id sincērē dīcat et ex animō,

ut liceat nōbīs tōtā perdūcere vītā 5

aeternum hōc sānctae foedus amīcītiaē!

\* Mōs erat diem fēlicem calculō candidō, infēlicem nigro signāre, ad ultimō diē  
nōscendum utrī frequentiorēs fuissent.

## COMMENTARIJ

- [II] Nūper Lesbia ā Catullō discessit et abruptiōnis maestitiam passere lēnīre vult, nam etiamnunc eum amat. Catullus, quī dolet tamquam Lesbia, quoque cum passere lūdere vellet.
- 5 [III] Passer, quī Lesbiae cūrās amōris levābat, mortuus est. Catullus mortem passeris dolet quia Lesbia nunc eius causā plōrat.
- [V] Lesbia est nūpta quae alium virum quam marī-  
tum amat, quārē adulteriī rūmōribus circumfunditur. Catullus Lesbiam nihil cūrāre dē sermōnibus et  
10 amāre pergere rogat; sīc poēta amātae sē adaequat, cum virum Rōmānum puellam rogāre nōn deceat, quod māiōribus murmurandī causam praebet.
- [VII] Catullus, ut fēcit in carmine V, Lesbiam bāsia  
15 rogat, quod virum Rōmānum nōn decet, et iterum amōrem suum fūrtivum cum nūptā loquitur. Sed tamen Lesbiam rogat ut bāsiāre pergat et rūmōrēs neglegat.
- [VIII] Catullus ā Lesbiā iam nōn amātur, quārē  
20 perdolet. Nunc Lesbia alium virum amat et Catullō eam valedīcere opus est nē excrucietur.

ab aliquō discēdere : aliquem dēserere  
ab-ruptiō -ōnis *f* < *ab-rumpere*  
= subitō finīre  
maestitia -ae *f* < *maestus*  
lēnīre = minuere

nūpta -ae *f* = uxor

adulterium -ī *n* = maleficium a-  
mandī alium virum quam con-  
iugem  
circum-fundere  
sermōnibus : rūmōribus

ad-aequāre = aequum facere

māiōrēs -um *m* = patrēs et pa-  
trum patrēs et ceterī  
murmurāre = *murmura* facere;  
murmur -is *n* = vōx quae vix  
audītur  
praebēre = offerre

nūpta -ae *f* = uxor  
loquī rem = loquī dē rē

per-dolēre = valdē dolēre

vale-dīcere

venustās -ātis *f* < venustus

ē-numerāre = ōrdine memorāre

trādītūr : nārrātūr; trādītūr Ca-  
tullus (: Catullum) mīsisse

certiōrem facere de rē = nūntiāre  
rem

trānslātiō -ōnis *f* < trāns-ferre -  
tulisse -lātum (ab linguā Graecā  
ad Latīnam)

in-clūdere = addere

fidēlitās -ātis *f* < fidēlis = fidus

suspectāre = crēdere incipere  
re-sciscere -scī(v)isse -ītum =  
cognōscere  
morārī = diūtius in locō manēre

pariter = aequē, eōdem modō

[XLIII] Āmēāna fuit puella quī incolīs Galliae Cis-  
alpīnae fōrmōsa vidēbātur. Catullus Āmēānam cum  
Lesbiā comparat et negat eam amātae suae venustā-  
tēs habēre, quās ēnumerat. Est igitur Āmēāna fōr- 25  
mōsa sōlīs rūsticīs ut Formiānō, cui dēcoctōrī est  
amīca, id est, puella nōn amōrem, sed nummōs  
quaerit.

[LI] Trādītūr Catullus hōc carmen ad Lesbiam mī-  
sisse ut eam certiōrem faceret de amōre suō. Est 30  
Sapphī nōtī carminis trānslātiō, quod poēta mūtāvit  
ut Lesbiam inclūdere posset, eī enim doctae puellae  
Sapphica carmina placēbant. Crēditūr Catullum, cum  
Lesbia eum amāre dēsiisset, postrēmam stropham  
mūtāvisse. 35

[LXX] Catullus dē fidēlitāte Lesbiae dubitāre coe-  
pit, quod certum fiet in carmine LXXII. Ignōrāmus  
quid suspectāret, sed fortasse ab amīcīs rescītus est  
dum extrā Rōmam morābātur.

[LXXII] Iam Catullus certē scit Lesbiam nōn amā- 40  
re pariter ac sē, nam haec illum tantum in lectō nōs-  
cere et tenēre cupit, ille hanc uxōrem dūcere vellet.  
Quamobrem, iniūriā repertā, dīcit ‘amāre magis (in

lectō) et bene velle minus:’ amōre ūritur, vīlis autem

45 Lesbia eī est, sicut merētrix.

merētrix -īcis *f* = fēmina quae merētur (= lucrum facit corpore suō)  
vēsānia -ae *f* < vēsānus (= cui mēns sāna nōn est)

[LXXV] Catullus Lesbiam vēsāniae suae accūsāt,

nam eam amat etsī mala faciat; neque eī bene vult

etsī optima fiat, cum foedus amīcitiae laesit iniūriā:

foedus -eris *n* = lēx inter hominēs statūta

ergō nunc Catullus inimīcum amat!

50 [LXXVI] Catullus, quī ab amātā Lesbiā et amīcō

Caeliō Rūfō falsus est, ūnus fidem tenuit, ergō pius

fidem : prōmissum

est et dignus dīs exaudiendī, quōs rogat ut dolōrēs

ex-audīre = precēs audīre

ēripiant; nam amor iam sibi est sicut morbus.

[LXXIX] Lesbius est Clōdus Pulcer, frāter Lesbiae,

55 quī ferunt cum sorōre concumbere — et Cicerō ita

ferunt : dīcunt  
con-cumbere < cum + cubāre

scrīpsit. Quārē nēmō eum oīsculum dare vult.

[LXXXIII] Catullus dēridet Metellum, Lesbiae ma-

rītum, cum laetētur quod uxor poētam maledīcat:

male-dīcere

id est signum amōris, sed Metellus nihil sentit.

60 [LXXXV] Poēta animum suum dēscrībit, quī habet

dē-scrībere = verbīs dēmōstrāre

causam in carminibus LXXII, LXXV, LXXVI. No-

notāre = dīligeranter animadverte-re

tanda sunt verba oppōnentia et respondentia: oīdī,

op-pōnere = contrā pōnere

ergō excrucior; amō, ergō sentiō; faciam et fierī; re-

quīris: nesciō.

65 [LXXXVI] Crēditur Quintiam esse sorōrem Quin-

Quintius -ī *m*

Vērōnēnsis -is < Vērōna

speciēs -eī f= quod aspicitur

polīticus -a -um < πόλις = cīvitas (= cūctī cīvēs), rēs pūblica

amātōrius -a -um < amor  
ad-hibere = ūtī

com-parāre = simul iungere

male-dictiō -ōnis m < maledīcere

arguere = falsum esse dēmōstrāre

secus = aliter

cōmicus -a -um < cōmoedia

per-legere = tōtum legere

prōpositiō -ōnis f < prō-pōnere

tiī Vērōnēnsis, quī in carmine C appellātur. Catullō  
fōrmōsus est simul pulcher et venustus: pulcher  
corpore et speciē, venustus grātiā et venere. Quin-  
tia est pulchra neque venusta; Lesbia est pulchra et  
venusta, ergō fōrmōsa.

70

[LXXXVII] Adhūc Catullus sermōnem polīticum  
ad amātōrium adhibuit. Iam eōs in idem carmen  
comparat: amor est foedus amīcitiae et Catullus ū-  
nus fidem tenuit.

[XCII] Ut iam vīsimum in carmine LXXXIII, male- 75  
dictiō est signum amōris. Iam Catullus id scīre af-  
firmat, cum is idem agat.

[CIV] Hōc carmine arguitur quod in XCII legitur,  
cum hīc Catullus sē Lesbiam maledīcere neget at-  
que illīc secus cōnfiteātur. Ignōrāmus quem appel- 80  
let. Tappō est fortasse persōna cōmica.

[CVII] Lesbia ad Catullum sē reddit, omnia reno-  
vantur. Poēta omnium malōrum oblīvīscitur.

[CIX] Cēterīs carminibus perlectīs, huius prōposi- 85  
tiō amōris nōn est crēdenda. Quāpropter Catullum,  
quī nunc incertus est dē Lesbiae fide, deōs invocat  
ut amāta prōmissō teneātur.

## INDEX VOCABVLORVM

- ab-ūtī ab-ūsum esse LXXVI. 4  
 ācer ācris ācre LXXXIII. 5  
 ac-quiēscere II. 8  
 aduersus -a -um LI. 3  
 aestuōsus -a -um VII. 5  
 aeternus -a -um CIX. 6  
 agere (vītam) LXXVI. 19  
 amplius *adv* LXXVI. 10  
 ap-petēns -entis II. 3  
 ārdor -ōris *m* II. 8  
 artūs -uum *m* LI. 9; LXXVI. 21  
 assiduē XCII. 4  
 bāsiāre VII. 9  
 bāsiātiō -ōnis *f* VII. 0, 1  
 bāsiūm -ī *n* V. 0, 7  
 bene-facere LXXVI. 1  
 calculus -ī *m* CVII. (5)  
 circum-silīre III. 9  
 cōgere LXXII. 8  
 contrā LXXVI. 23  
 con-turbāre V. 11  
 cūius -a -um VIII. 17  
 culpa -ae *f* LXXV. 1  
 cūriōsus -a -um VII. 11  
 dēcoctor -ōris *m* XLIII. 5  
 dē-dūcere LXXV. 1  
 dein V. 8, 10  
 dēliciae -ārum *f* II. 1; III. 4  
 dē-mānāre LI. 10  
 dē-pōnere LXXVI. 13, 25  
 dē-precārī XCII. 3  
 dēsīderium -ī *n* II. 5  
 dēsīnātus -a -um VIII. 19  
 dē-vorāre III. 14  
 dis-pefīre XCII. 2, 4  
 dīuus -ī *m* LI. 2; LXXVI. 4  
 dulce *adv* LI. 5  
 ēlegāns -antis XLIII. 4  
 ex-cruciāre LXXVI. 10; LXXXV. 2  
 ex-pellere LXXVI. 22  
 exsultāre LI. 14  
 extrēmus -a -um LXXVI. 18  
 facētus -a -um XLIII. (8)  
 fās *n* *indēcl* LI. 2  
 fascināre VII. 12  
 fatuus -a -um LXXXIII. 2  
 fidēs -eī *f* LXXVI. 3; LXXXVII. 3  
 firmus -a -um LXXVI. (11)  
 flamma -ae *f* LI. 0, 10  
 foedus -eris *n* LXXVI. 3;  
 LXXXVII. 3; CIX. 0, 6  
 fulgēre -sisse VIII. 3  
 fūrtīuus -a -um VII. 8  
 gannīre LXXXIII. 4  
 geminus -a -um LI. 11  
 gener -ī *m* LXXII. 4  
 gēns gentis *f* LXXIX. 2  
 gestīre LI. 14  
 gnātus -ī *m* LXXII. 4  
 harēna -ae *f* VII. 3  
 identidem LI. 3  
 impēnsē *adv* LXXII. (5)  
 im-potēns -entis VIII. 9  
 incitāre II. 4  
 ineptiae -ārum *f* VIII. (1)  
 ineptīre VIII. 1  
 īn-facētus -a -um XLIII. 8  
 īn-grātus -a -um LXXVI. 6, 9  
 īn-sapiēns -entis XLIII. 8  
 īn-spērāns -antis CVII. 2, 5  
 invītus- a -um VIII. 13; LXXVI. 12  
 iocārī II. 6  
 iocōsus -a -um VIII. 6  
 iocus -ī *m* II. (6)  
 istinc LXXVI. 11  
 labellum -ī *n* VIII. 18  
 lasarpīcifer -fera -ferum VII. 4  
 lasarpīcium -ī *n* VII. (4)  
 lūmen -inis *n* LI. 12  
 luxus -ūs *m* XLIII. (5)  
 mānāre LI. (10)  
 mellītus -a -um III. 6  
 mī *dat* V. 7; LI. 1, 7; LXXII. 6;  
 LXXVI. 26; LXXXIII. 1; XCII. 1;  
 CVII. 4  
 mīca -ae *f* LXXXVI. 4  
 miserīri LXXVI. 17  
 miseria -ae *f* LXXVI. (17)  
 morsus -ūs *m* II. 4  
 mūlus -ī *m* LXXXIII. 3  
 nescio-quid II. 6  
 nitēns -entis II. 5  
 nūmen -inis *n* LXXVI. 4  
 ob-dūrāre VIII. 11  
 ob-loquī LXXXIII. 4  
 obstīnātus -a -um VIII. 11  
 occultus -a -um VII. (8)  
 ocellus -ī *m* III. 18  
 of-firmāre LXXVI. 11  
 opem -is -e *f* LXXVI. 18  
 opera -ae *f* III. 17  
 op-tingere -tīgisse CVII. 1  
 ōrāc(u)lum -ī *n* VII. 5  
 pār paris LI. 1  
 passer -eris *m* II. 0, 1; III. 0, 3, 4, 16  
 pīrgidulus -a -um III. 8  
 pernīciēs -eī *f* LXXVI. 20  
 per-numerāre VII. 11  
 per-vincere LXXVI. 15  
 pestis -is *f* LXXVI. 20  
 pietās -ātis *f* LXXVI. 26  
 pīpiāre III. 10  
 pius -a -um LXXVI. 2  
 plūrimus -a -um *sup* LXXXIII. 1  
 potis -e *adi* *indēcl* LXXII. 7;  
 LXXVI. 16, 24  
 prae-dīcere VII. (5)  
 prō-pōnere CIX. 1  
 propriē CVII. 2  
 pudicus -a -um LXXVI. 24  
 pulcer -cra -crum LXXIX. 1, 3;  
 LXXXVI. 5  
 pūriter *adv* LXXVI. 19  
 pūrus -a -um LXXVI. (19)  
 quā *adv* LXXVI. 14  
 quī *adv* LXXII. 7  
 quic-quam CVII. 1  
 quī-cum II. 2  
 quīre quīvisse LXXV. 3  
 quondam VIII.3; LXXII. 1  
 re-cordārī LXXVI. 1  
 red-dere LXXVI. 26  
 re-ferre CVII. 5  
 re-novāre CVII. 0  
 re-quīrere VIII. 13; LXXXV. 1  
 re-stituere CVII. 4, 5  
 sacer -cra -crum VII. 6  
 saeculum -ī *n* XLIII. 8  
 sānctus -a -um LXXVI. 3; CIX. 6  
 sectārī VIII. 10  
 sēnsus -ūs *m* LI. 6  
 sepulcrum -ī *n* VII. 6  
 sīdus -eris *n* VII. 7  
 signāre XCII. 3  
 sincērus -a -um CIX. 4  
 sinus -ūs *m* II. 2  
 sī-quis -qua -quid LXXVI. 1  
 sōlāciolum -ī *n* II. 7  
 sōlācium -ī *n* II. (7)  
 sonitus -ūs *m* LI. 10  
 suāvium -ī *n* LXXIX. 4  
 sub-rēpere LXXVI. 21  
 suō-pte LI. 10  
 super *adv* VII. 2, 10  
 superāre LI. 2  
 taeter -tra -trum LXXVI. 25  
 tegere LI. 11  
 ten XLIII. 6  
 tenebrīcōsus -a -um III. 11  
 tintināre LI. 11  
 torpēre LI. 9; LXXVI. (21)  
 torpor -ōris *m* LXXVI. 21  
 tot-idem XCII. 3  
 turgidulus -a -um III. 18  
 ūsque *adv* III. 10; V. 9  
 vae! VIII. 15  
 ventitāre VIII. 4  
 venustās -ātis *f* LXXXVI. 3  
 venustus -a -um III. 2  
 vērē *adv* VIII. 8; LXXXVII. 2; CIX. 3  
 vēsānus -a -um VII. 10  
 violāre LXXVI. 3  
 voluptās -ātis *n* LXXVI. 1  
 vulgus -ī *m* LXXII. 3

## INDEX NOMINVM

Āmēāna -ae <i>f</i> XLIII. (0)	Formiānus -ī <i>m</i> XLIII. 5	Lesbius -ī <i>m</i> LXXIX. 1
Battus -ī <i>m</i> VII. 6	Iuppiter Iovis <i>m</i> VII. 5;	Libya -ae <i>f</i> VII. (3), (4)
Catullus -ī <i>m</i> VII. 10;	LXX. 2; LXXII. 2	Libyssus -a -um VII. 3
VIII. 0, 1, 12, 19; LI. 13;	Lesbia -ae <i>f</i> II. 0; V. 1;	Orcus -ī <i>m</i> III. 14
LXXII. 1; LXXVI. 5;	VII. 2; LI. 7; LXXII. 0, 2;	Quintia -ae <i>f</i> LXXXVI. 0,
LXXXVII. 0	LXXV. 1; LXXIX. 1;	1
Clōdius -ī <i>m</i> LXXIX. 0	LXXXIII. 0, 1; LXXXVI.	Venus -eris <i>f</i> III. 1
Cupīdo -inis <i>m</i> III. 1	5; LXXXVII. 2; XCII. 1,	
Cyrēnae -ārum <i>f</i> VII. 4	2; CVII. 4	

### NOTAE

<i>=</i>	idem atque	<i>adv</i>	adverbium
<i>↔</i>	contrārium	<i>coni</i>	coniūctīvus
<i>:</i>	id est	<i>dat</i>	datīvus
<i>/</i>	sive	<i>f</i>	fēminīnum
<i>&lt;</i>	factum ex	<i>gen</i>	genetīvus
<i>&gt;</i>	fit	<i>imp</i>	imperativus
<i>+</i>	cum, atque, additur	<i>indēcl</i>	indēclīnābile
<i>—</i>	syllaba longa	<i>m</i>	masculīnum
<i>( )</i>	syllaba brevis	<i>n</i>	neutrum
<i> </i>	syllaba dīvidendae	<i>pl</i>	plūrālis
<i>˘</i>	litterae coniungendae	<i>praes</i>	praesēns
<i>acc</i>	accūsātīvus	<i>sup</i>	superlātīvus
<i>adi</i>	adiectīvum		